(22ᵛ b)

libros monasterii nostri non quidem corrigere sed potius corrumpere attemptaverit propria voluntate. talis pro qualibet in capitulo reclamacione convictus vel confessus gravi subiaceat discipline. Porro si qua in predictis libris mendosa et emendacione dingna videantur, provideat abbas quantum poterit, ut secundum libros correctos alibi postulatos in nostro ordine vel alias si necesse fuerit debite corrigantur. Ordinamus etiam ut cum libros aliquos domus nostre scribi fecerint eos procurent transcribi de exemplaribus emendatis.